



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Oddoni Episcopo & Capitulo Pennens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

330 Epistolarum Innocentij III.

me Deus adjuvet & hæc sancta Dei evangelia.

IVRAMENTVM COMITIS Ildebrandini.

Epist. 578.

EGO Comes Ildebrandinus ab hac hora in antea fidelis ero beato Petro & Domino meo Papæ Innocentio ejusque successoribus canonicè intrantibus & sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Non ero in facto, neque in dicto, neque in consilio, aut in consensu, ut vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium quod per se vel per suum nuntium aut per suas literas mihi manifestaverint, ad eorum damnum me sciente nulli pandam. Si eorum certum damnum sciero, si possum, remanere faciam, sin autem, aut per me aut per meum nuntium vel per talem personam, quam pro certo credam eis dicturam, significabo. Papatum Romanum & regalia beati Petri, & nominatim Montem altum, & quicquid aliud teneo de ipsis regalibus, adjutor ero ad retinendum, quæ non habet ad recuperandum, & recuperata ad retinendum & defendendum contra omnes homines. Cùm autem à Domino Papa fuero requisitus per literas ejus aut per nuntium suum certum, ad præsentiam ejus accedam, ubi securus possum accedere, & in manibus ejus ligium hominum ei faciam. Hæc omnia bona fide sine fraude & malo ingenio observabo. Sic me Deus adjuvet & sancta hæc evangelia.

ODDONI EPISCOPO & Capitulo Pennens.

Epist. 579.
Confirmat compositionem factam inter Episcopum Pennensem & monasterium S. Viti de Furca.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Oddoni Episcopo & dilectis filiis Canonicis Pennensibus salutem & apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente comple-
re. Eapropter vestris justis postulationibus * impartientes assensum, quæ inter bonæ memoriæ Odorisi Pennensem Episcopum & Odolerium Priorem sancti Viti de Furca, super justitiis quas Pennensis Ecclesia in Ecclesia sancti Viti de Piscaria, quæ memoratæ Ecclesiæ sancti Viti de Furca noscitur esse subjecta, diocesana lege tanquam matrix Ecclesia

* benignum

vindicabat, amicabiliter intercessit, sicut legitimè facta est & ab utraque parte recepta, & hæcenus observata, ut in scripto authentico confecto exinde continetur, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum XIII. Kal. Maij, pontificatus nostri anno primo.

REGI ANGLIÆ.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei illustri Regi Angliæ salutem & apostolicam benedictionem. Quoniam de regia celsitudine spem certam & fiduciam obtinemus ut Ecclesias & ministros ecclesiasticos dignè satagat honorare, ipsosque suæ defensionis & protectionis munimine confovere, regalem magnitudinem ad hæc libenti animo apostolicis exhortationibus invitamus, & animum tuum ad ea volumus inducere per quæ Regi Regum, cujus propitiante gratia regni obtines dignitatem, dignis operibus valeas complacere, ipsiusque tibi conciliare favorem. Nos itaque pro dilectis filiis nostris monachis Cantuariensis Ecclesiæ preces apostolicas porrigimus, magnificentiam tuam rogamus, monemus, & in Domino attentius exhortamur, quatenus ipsos & eorum Ecclesiam propensius habeas commendatos intuitu precum nostrarum, & ob reverentiam gloriosi martyris Christi Thomæ, qui sanguine martyrij Cantuariensem Ecclesiam illustravit, & à malignantium propulsione defendas, & eis sua jura illibata studeas & integra conservare. Datum Romæ apud sanctum Petrum Non. Martij, pontificatus nostri anno primo.

Epist. 580.
Scribit pro monachis Cantuariensibus.

SUFFRAGANEORVM Cantuariensis Ecclesiæ ad Innocentium Papam.

Reverendo Patri & Domino Innocentio Summo Pontifici suffraganei Cantuariensis Ecclesiæ salutem. Gratias agimus gratiæ largitori, qui suam fundans Ecclesiam supra petram, in Petro & per eum in successoribus ejus fratres suos confirmandos esse prædixit. Unde & cùm de beatæ recordationis Celestini Papæ III. obitu essemus perturba-

Epist. 581.
Retribuit in causâ capellæ de Lambec. Vide supra epist. 42.